



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae**

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus  
distributa. Quorum primus De Angelis

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1621**

II. Utrum in Angelis sit proprium, & intrinsecum Vbi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

substantialem presentiam propriam esse diuinitatis.

Et eodem modo intelligendus est Hieronymus l. contra Vigilant. post Epist. 53. ad Ripar. contra eundem Vigil. vbi tractans illud Apoc. 14. Sequuntur agnum quocumque seruit, dicit, Si agnus vbiq; ergo & hi qui cum agno sunt, vbiq; esse credendi sunt. Vbi ipse de Martyribus loquitur: est autem eadem ratio de Angelis. Sed statim exponit, dicens. Cum demones toto vagentur orbe, & ex celeritate nimia vbiq; presentes sint, multo magis Martyres, &c. Et eodem modo loquitur Maximus serm. de S. Martyr. Taurino. Et D. Bernardus serm. 5. in Cantica, de Angelis sanctis dicit, Angelos indigere corpore ad sua ministeria, quia non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum, quod frequenter Angelos facere iam indubitata, quam nota probat auctoritas. Ex quo solum id quod ad presentiam refert accipimus: nam illam necessitatem corporum non probamus, nisi de solis ministerijs aliquo modo visibilibus, & de corporibus non naturalibus, sed assumptis, intelligatur. Vnde melius Chrysostr. hom. 3. ad Heb. tractans illa verba, In ministerium missi, absolute dicit, in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem, & infra, Circa nos cursitant, hoc est, eorum ministerium propter nos in omnes mundi partes. Quod varijs testimonijs Scripturæ confirmat, ita illa interpretando. Et tandem comprobat differentiam, quam in verbo mittendi, paulo antea notauimus, dicens: Filius non sicut Angelus fuit missus, non enim ille loco in locum transfuit, sed carnem suscepit, Angeli vero loca mutant, & prioribus, in quibus sunt, dimissis ad alia veniunt, in quibus non erant.

17. Tercio argumentari possumus ratione, quia angelus habet definitum locum, & non habet locum, cui ex natura sua necessario adhaeret, ergo mutabilis est ille in locum. Consequenter est euidens, quia immutabilitas localis prouenit tantum potest, vel ex necessaria presentia in omnibus locis simul, vel ex adhesionem necessaria ad vnum locum. Major autem probata iam est, & minor facile probatur, quia in loco angeli considerari potest, vel corpus aliquod, cui angelus presentis est, vel spatium illud imaginarium, quod reali corpore impletur. Angelus autem nulli corpori naturali necessitate adhaeret, & quamuis adhaereret, posset cum ipso corpore per accidens mutari. Multoque minus potest immobilitatem naturalem in aliquo spatio habere, cum spatium vt distinctum à corpore, vel ab angelo, nihil sit. Quare ratio tractando de Vbi Angelorum euidentior fiet. Neq; oportet fundamentis Durandi, & Henrici, qui in 1. dist. 37. contrarium docere ausi sunt, respondere. Fundatur enim in hoc, quod angeli vel nullibi sunt, vel vbiq; sunt: vtrumque autem omnino falsum esse ostendimus. Ex testimonijs autem in principio huius capituli allegatis solum illa verba Augustini, quod Deus mouet spirituales creaturas per tempora, non tamen per loca, nonnullam difficultatem habent, quam tacito Augustini nomine aduertit Hugo de S. Vi. supra cap. 16. Et ideo illum modum loquendi non approbat, quamuis absolute non reprobet, quia de motu physico, & cum locali circumscriptione potest exponi. Sed de illis Augustini verbis plura in sequentibus dicemus.

CAPVT II.

Vtrum in Angelis sit proprium & intrinsecum Vbi.

Hanc questionem late tractauimus in Metaphysica dist. 51. sect. 3. & 4. quia reuera ex principijs Metaphysicæ dehienda est, & ad completam explicationem prædicamenti Vbi, erat necessaria. Non potui autem hoc loco illam omnino prætermittere: tum quia (mea sententia) est fundamentum omnium, Suarez de Angelis.

quæ de mutabilitate angelorum dicenda sunt: tum etiam quia nonnulla occurrunt illi addenda occasione eorum, quæ postea scripta sunt. Curabo tamen illa breuiter, & ferè sine ulla repetitione expedire, quantum potero. Vt autem sensus & punctum questionis intelligatur, aduerto in corpore existente in loco duo posse considerari, vnum est, superficies vltima corporis ambientis, intra quam continetur: secundum est presentia illa, seu modus existendi, quem corpus habet in spatio interjecto inter latera corporis continentis, quod spatium replet. In angelis autem existentibus in loco non consideratur superficies vltima corporis continentis, quia non continetur, nec circumscribitur loco. Vnde respectu angeli solum potest considerari, vt locus extrinsecus corpus illud, in quo intimè, & quasi penetratiuè existit, iuxta dicta in cap. precedenti. Quæ habitudo, seu ratio loci in corporibus locum non habet, quia vnum corpus in spatio quod replet, aliud secum naturaliter non admittit. Et de hoc loco extrinsecus angeli nunc non agimus, sed in cap. sequenti dicemus. Secundò ergo potest in angelo considerari modus presentia, quem ex parte sua exhibet corpori, & de hac presentia inquirimus, an sit aliquid in angelo, & quidnam sit.

Notatio ad intelligentiam questionis.

Quam questionem sub his terminis antiqui Scholastici non tractant: nam solum disputant quomodo vel per quod angelus sit in corpore, tanquam in loco: vnde videntur solum tractare de loco extrinsecus: nã ferè nihil dicunt de intrinsecus Vbi, nihilominus tamen ex his, quæ de altera questione dicunt, possunt in presentia pro diuersis opinionibus referri. Prima esse potest Vbi angelicum nihil esse illi intrinsecum, id est, in illo receptum, tanquam necessarium ex parte illius fundamentum, vel ratio existendi in tali loco. Hæc opinio tribui potest omnibus Doctoribus asserentibus, angelum esse in loco per solam actionem transeuntem in corpus, quos capite sequenti referam. Quia illi consequenter asserunt, si angelus in nullo corpore operetur, nullibi esse, ex quo planè sequi videtur presentiam angeli in loco nihil in ipso ponere, sed solam actionem transeuntem in corpus. Potest autem responderi ex illa sententia non sequi, quod esse in loco nihil peculiare ponat in angelo: sed quod illud, quicquid est, non maneat in illo, eo ipso, quod operari cesset in corpore. Sed hoc neq; ab illis auctoribus dicitur, neque esset consequenter, aut probabiliter dictum. Quia si vbi angelicum est aliquid in ipso angelo, est prius actione transeunte in corpus, & consequenter independens ab illa. Tum quia prius non pendet à posteriori perse loquendo, tum etiam quia nulla specialis ratio dependentia hæc cogitari potest: tum maxime, quia positus in Angelo omnibus prærequisitis ad agendum in corpus, est in potestate ejus agere, & non agere, quia liberè agit, ergo nihil eorum, quæ in ipso Angelo antecedunt ad illam actionem, ita pendet ab illa, vt sine illa esse non possit, vel cessante actione necessariò esse desinat, ergo è contrariò si eo ipso, quod Angelus ab actione cessat, nullibi manet, profecto esse alicubi nihil in ipso est, sed sola extrinseca actio. Omitto alios modos explicandi in Angelo rationem essendi in loco per aliquid tantum extrinsecum: nam eadem ratio est de illis omnibus, vt postea videbimus, vbi etiam fundamenta istius opinionis expendemus.

Prima sententia. Angeli presentiam non esse aliquid illi intrinsecum.

Secunda opinio principalis referri posset in hoc conueniens cum præcedenti, quod vt angelus dicatur esse alicubi, vel in aliquo corpore, tanquam in loco, nihil necessarium est ex parte angeli præter substantiam eius, differens tamen, quia putat substantiam angeli per seipsam esse sufficientem rationem, & proximam ex parte angeli, vt hic vel illic sit, vel in hoc, vel illo corpore ibi existente. Hanc opinionem referunt aliqui moderni, & eam tribuunt Bonau. Quibus tri-Scoto, vaatur.

Secunda sententia. Angelum presentiam substantiam angeli per seipsam esse sufficientem rationem, & proximam ex parte angeli, vt hic vel illic sit, vel in hoc, vel illo corpore ibi existente. Hanc opinionem referunt aliqui moderni, & eam tribuunt Bonau. Quibus tri-Scoto, vaatur.

Scoto, Richard. Gabr. Greg. & Marfilio, sed apud eos non inuenio ita explicatam sententiam hanc, nec credo in ea opinione fuisse. Nam licet aliqui eorum dicant, angelos esse in loco per suam essentiam, vel substantiam, id solum dicunt ad excludendam operationem, vel aliam similem extrinsecam rationem, non verò ad excludendum ipsum intrinsecum *Vbi*, vt in sequentibus videbimus. Cuiuscumque v. fuerit illa opinio, fundamentum eius esse potuit, quia nihil potest denuo fieri naturaliter in substantia angeli, sed tantum in intellectu, vel voluntate. Item quia nihil tale necessarium est, vt angelus sit in loco: nam eo ipso quod est intra mundum, necessario sequitur, vt aliquem certum locum in vniuerso habeat: nam est aliquo modo pars eius, & ideo aliquem ordinem in illo tenere debet. Denique quia aliquid tale fingatur, illud pendebit ex voluntate Angeli, cui liberum est hic, vel ibi esse, ergo quando Angelus alicubi est, potest pro sua libertate non efficere, vel non conseruare in se aliquid additum substantię suę, & nihilominus ibi manebit, ergo nihil tale est necessarium, vt ibi sit, ergo nunquam aliquid tale in Angelo sit.

4.  
Prima conclusio partitua, eiusque auctores.

Nihilominus dico primò, angelum non esse in extrinsecò loco, quin præter illum, & omnem actionem in illum, supponatur in ipso Angelo aliquis intrinsecus modus accidentalis, & ex natura rei à substantia distinctus. Hanc assertionem latè docui in citato loco, & eam sequitur Valquez *1. part. disp. 188. c. 7.* quam in multis, quæ ad eius explicationem maxime pertinent, maxime differat, quæ postea videbimus. Sed ex modernis eam sequitur Malonius *in 2. disp. 8. disp. 9. sect. 2.* & præcipue in 3. Item Pelantius *1. p. q. 52. art. 1. disp. 2.* Qui eam tribuit Richard. *in 1. disp. 37. art. 2. q. 1.* Nec fundamento, quatenus exclusis alijs rationibus formalibus existendi in loco, concludit sic, *formalis applicatio Angeli ad locum, est similitas sua cum loco, vel cum re existente in loco.* Nam hæc verba non possunt habere alium legitimum sensum, vt explicabimus. Pro eadem sententia referri potest Henricus *quodlib. 2. cap. 9.* Nam licet fateatur se ignorare quidnam sit in angelo hoc *Vbi*, seu esse in loco, constanter tamen dicit, non esse operationem in corpus, nec passionem angeli à corpore, nec esse nudam substantiam Angeli. Non sunt etiam alieni ab hac sententia, Theologi, qui dicunt Angelos esse in loco per suam substantiam, & non per operationem, vel aliam similem applicationem, vt sunt Bonau. *in 2. disp. 2. in secunda illius parte art. 2. quest. 1.* & ibi Scot. *quest. 6. Gabriel q. 2. art. 2.* Gregor. *q. 2. art. 2.* Marfil *in 2. q. 2. art. 2.* Est in hac materia maxime considerandum, duobus modis posse intelligi Angelum esse in loco per suam substantiam: vno modo tanquam per proximam rationem formalem constituentem angelum alicubi, alio modo tanquam per proximum fundamentum, & subiectum illius rationis formalis, quæ angelum ad talem locum determinat, ibique illum constituit. Igitur prædicti Doctores non dicunt substantiam angeli, vt talis est, esse ipsam rationem formalem proximam existendi in loco, sed esse proximam fundamentum eius, ac proinde sentiunt, ipsum *Vbi* angelicum aliquid addere ipsi substantię angeli, quæ in eâ est, ipsamque afficit. Equiparant enim substantiam angeli quantitati corporis, dicuntque ita Angelum esse in loco per suam substantiam, sicut corpus est in loco per suam quantitatem. At quantitas non est proxima ratio constituens corpus alicubi, sed est proximum fundamentum eius, ita ergo cum proportionem de substantia angeli intelligendum. Vnde sicut esse alicubi circumscripuit aliquid addit quantitatis corporis, illam intrinsecè afficiens, vt in *dicta disp. 51. Metaphys.* demonstrauimus, ita de substantia, & *Vbi* angelico dicti auctores ratiocinantur.

5.  
Probatur paulatim

Probatur ergo assertio per singulas partes: nam in primis angelus, & cælum, v. g. non sunt simul, seu in distantia, p. suas entitates, id est, substantiam ex parte

Angeli, & substantiam cum quantitate ex parte cæli, ergo necesse est, vt aliquid eis addatur, ratione cuius simul & indistantia sunt, ergo vt angelus verè dicatur esse in cælo, aliquid addendum est non solum cælo, sed etiam ipsi angelo. Antecedens probatur manifeste, quia angelus, & cælum possunt esse in rerum natura, & non esse simul secundum localem indistantiam, vt de malis angelis certissimum esse, quorum locum non est inuentus amplius in cælo, & de angelis bonis, quando ad nos veniunt, & inter nos versantur, vt cap. præcedenti probatum est, ergo illa duo extrema absolute sumpta non sufficiunt, vt simul sine, vel vnum sit in alio, ergo oportet eis aliquid addere ad illam conjunctionem, seu habitudinem inter ipsa quæ erat prima consequentia. Quam facile probamus, quia esse simul secundum præsentiam realem, & indistantiam, est aliquid in rerum natura, & illud non sequitur necessario ex sola existentia talium rerum, ergo est aliquid reale illis additum. Sicut res è probamus vnionem animæ ad corpus esse aliquid à corpore, & anima distinctum, quia possunt esse illæ duæ entitates in rerum natura, & non esse inter se vnice. Quia non potest esse, neque intelligi aliquis nouus effectus realis sine noua forma, vel modo reali. Atque ita etiam in diuinis, ac supernaturalibus mysterijs Incarnationis, & Eucharistiæ philosophamur, quia illud principium est per se, & ex terminis necessarium.

Secunda consequentia, seu consequens duas habet partes, vna est, quod hoc additum (quidquid illud sit) quod ad mutuam præsentiam, seu simultatem inter corpus, & spiritum requiritur, est etiam necessarium, vt angelus in tali corpore, in loco esse dicatur. In quo non asserimus hoc esse sufficiens, vt dicatur angelus esse in tali loco, hoc enim in cap. sequenti tractandum est, sed tantum dicimus id esse necessarium, & ita est euidens illatio, quia inter locum, & id quod est in loco, requiritur propinquitas, & indistantia. Quod quidem in corporalibus est per se notum loquendo de proprio & adæquato loco, (vnde loquimur:) de spiritalibus autem probatur, tum quia non possumus de spiritalibus ratiocinari, nisi per quandam proportionem ad corporalia. Tum etiam, quia, quod aliquid dicatur verè in aliquo loco esse, seu alicubi, vbi secundum suam entitatem non est præsens, sed potius distans, per se & ex terminis menti repugnat. Tum maxime quia omnia testimonia Scripturæ, & Patrum adducta in præcedenti capite hæc maxime probant, quia supponunt non posse esse veras in proprietate sermonis illæ locutiones, *Angelus est in loco, vel in corpore hominis*, & similes, nisi supponatur, & intelligatur angeli substantia esse realiter præsens, & indistans à tali corpore.

Alter pars illius consequentis erat, necessarium esse ad hunc effectum aliquid addi, non tantum cælo, vel corpori, vbi angelus esse dicitur, sed etiam ipsi angelo, quæ probatur in hunc modum. Quia ex parte cæli, v. g. empyrei, supponitur non solum substantia, & quantitas, sed etiam intrinsecum *Vbi* ipsius, & omnis alia intrinsecè dispositio, quæ in ipso cogitari potest, & nihilominus fieri potest, vt angelus in mundo existens in cælo empyreo non sit, sed ab illo distans, ergo vt talis angelus sit realiter præsens, & indistans ab illo cælo, aliquid aliud in angelo necessarium est. Antecedens supponitur tanquam euidens ex facto ipso: nam cælum empyreum (si in eo creati sunt angeli) nec locum, nec aliquam intrinsecam dispositionem, seu modum amittit, aut mutat, quando angeli mali ab illo eiectione sunt, nec nunc amittit, quando sancti angeli inde discedunt, nec acquirit, quando illuc redeunt, vt est per se euidens, & in cap. sequenti magis probabitur. Ergo necesse est, vt quando angelus de cælo eicitur, vel descendit, aliquid amittat, quod in se habebat, & quando iterum in præsens ei dem cælo, aliquid in se acquirat. Probatur hæc

hæc consequentia, simul cum vltima prius facta in ratione principali ex illo principio, quod non potest incipere nouus effectus realis sine noua forma, vel quali forma reali. Nam hinc euidenter inferitur Angelum existentem in rerum natura, & distantem à cælo, non posse vere, & realiter fieri præsentem cælo, nisi aliquid reale nouum fiat, vel in Angelo, vel in cælo: sed in cælo non est necessarium, suppositis, quæ diximus, ergo debet in ipso Angelo fieri. Simile argumentum fieri potest ex eo, quod Angelus, qui vere & realiter erat in cælo, incipit non esse in illo sine vlla mutatione cæli, ergo necesse est, vt ipse Angelus amittat aliquid, quod ex parte sua illum præsentem, & indistantem à cælo constituerebat, ergo semper est necessarium aliquid huiusmodi in Angelo, vt alicubi esse dicatur.

8. Et hinc facile probatur vltima pars assertionis videlicet, hunc accidentalem modum esse in Angelo, ex natura rei à substantia eius distinctum. Probatur quia hic modus amittitur, & de nouo acquiritur ab Angelo, ergo est ex natura rei æstualiter distinctus ab illo. Nullum enim maius signum realis alicujus distinctionis dari potest, quam separabilitas in re ipsa, præsertim quando non fit per mutationem alterius, sed per propriam subjecti mutationem, à quo talis modus separatur, vel cui denuo additur, vt fit in Angelo, sicut discursus prius factus ostendit, & ex dicendis de motu locali Angeli euidentius fiet. Quod autem ille modus sit proprium accidens, ex eodem principio probatur. Nam in primis adest, & abest substantiæ Angeli sine aliqua subjecti corruptione, vel diminutione, in aliqua re, vel modo ad complementum substantiæ pertinente, ergo est verum accidens. Patet consequentia, tum ex definitione accidentis, tum etiam quia non est substantia neque modus substantialis, ergo est accidens saltem, vt modus accidentalis. Denique confirmatur, quia per modum localem nihil substantiale acquiritur, vel amittitur, sed Angelus acquirit, & amittit hunc modum per motum localem, ergo est verum accidens.

9. Desiderabitur autem à nobis, vt explicemus cuius nature, seu prædicamenti sit hic modus. Ad hoc ergo explicandum, dico secundo hunc modum non esse quantitatem nec materiale accidens, nec qualitatem, nec relationem prædicamentalem, sed sub prædicamento Vbi contineri. Ita docui in citato loco Metaphys. & nunc breuiter probō singula. Et in primis clarum est, non esse quantitatem; nec aliquid accidentis, quod per illam insit substantiæ. Quia hic modus inest substantiæ angelicæ, in qua nec quantitas, nec alia accidentia, quæ per quantitatem insunt, seu extensionem eius requirunt, inueniri possunt, est ergo modus ille, accidens quoddam spirituale, non est ergo quantitas, nec materiale accidens, quod per quantitatem insit. Addimus vero vterius, non esse qualitatem propriam etiam spirituales. Quod est euidentis, & vt tale videtur ab omnib. supponi: tum quia in nulla specie qualitatis collocari potest, vt facile quisq; intelliget discurrendo per singulas: tum etiam quia motus localis non tendit per se ad qualitatem, seu, quod perinde est, qualitas non acquiritur, vel perditur per se per motum localem: nam licet in corporalibus alteratio interdum sequatur ex motu locali, id non est per se, sed concomitanter, vel propter ipsorum mobilitatem dispositionem, vel propter approximationem, vel remotionem corporis alterantis. At vero hic modus per se acquiritur Angelo per motum localem, & ex illo nulla fit alteratio in Angelo, nec per se, nec concomitanter, quia non est vnde sequatur, vel quia etiam Angelus capax illius non est, ergo ille modus non solum non est qualitas, verum etiam nec habet qualitatem se comitantem, vel consequentem.

10. Contra hanc vero partem citatur Alenf. 2. p. q. q. 22. memb. 1. sed ibi Alenfis nihil de qualitate loquitur, S Suarez de Angelis.

sed de proprietate, quam requiri putat in corpore, & in Angelo, vt in loco corporeo sit. Dixerat enim corpus contineri ab Angelo, & Angelum etiam contineri à loco, & de hac proprietate ex parte corporis addit non esse ex natura eius, sed esse illi diuinitus datum. Quod ita materialiter intellectū vt sonat, valde absurdū, & non intelligibile videtur: tum quia non apparet quid sit illa proprietate, vel ad quid: tum etiam quia inde videtur sequi non posse Angelum incipere esse in aliquo loco, nisi Deo aliquid diuinitus operante circa corpus ibi existens, quod apertè falsum est; vt per se notum videtur. Imo sine dubio est contra mentem eiusdem Alenfis in illa quaestione, & sequenti. Vnde existimo per illam proprietatem corporum nihil aliud Alensem intellexisse, nisi legem latam à Deo, vt res omnes etiam spirituales intra hoc vniuersum corporeum contineantur: nam inde fit, vt Angeli extra hunc mundum non exeant, quod profecto provenire non potest ex naturali proprietate ipsorum corporū, nec ex impotentia Angeli ad transiliendum omnia corpora, sed ex ordine vniuersi ab eius auctore constituto. Hanc ergo vocauit proprietatem cæli Emphyrei ad continendum intra, vel infra se omnes Angelos. Et hinc sequi putat, vt Angelus necessario intra aliquem locum corporeū contineatur, quamuis determinatio huius, vel illius loci ab alio efficiendi pendeat, vt infra videbimus. Hæc autem falsua continencia in Angelo non est per circumscriptiōnem, vt est in corporibus, sed est per definitam, & intimam præsentiam. Et ideo ex parte Angeli nullam qualitatem, vel proprietatem Alenfis requirit, sed potius ait Angelum spiritum ex parte sua habere quod debeat definiti loco, & quod ita sit hic, quod non ibi, & hæc dico, inquit, conferunt ei esse in loco. Et in fine concludit posse dici Angelum non esse in loco, nisi quia est presens loco sine dependentia ab ipso. In quo reuera consentit assertioni positæ, quamuis illam non satis explicet, imo in priori discursu nimis obscure loquatur.

Ad debemus præterea in assertionem hunc modum non esse relationem prædicamentalem, & etiam facile probamus. Primo quia ad relationem non est per se motus, sed ad hunc modum est per se motus localis angeli, ergo non est relatio prædicamentalis. Minor patet ex priori discursu, quia angelus per ingressum in corpus hominis, v. g. fit presens, & prædictum modum acquirit per se primo, nihil enim aliud cogitari potest, q̄ prius acquirat, ex quo relatio prædicamentalis resultet. Simile argumentum fieri potest de termino à quo, nam angelus existens in cælo Emphyreo immobili amittit modum existendi ibi per discessum proprium ab illo loco per se (vt ita dicam) & immediatè ex parte termini à quo: at relatio non amittitur per se primo per subjecti mutationem, q̄ ab illo primo fiat, sed fieri debet in aliquo absoluto, q̄ fit relationis fundamentum, ergo hic modus non potest esse relatio, sed ad summum relationis fundamentum. Et reuera ita est, & à priori probatur, quia hæc relatio esse non potest nisi appropinquatis, vel indistanti inter angelum, & corpus, quod dicitur ei locus. Hæc autem relatio supponit in externis esse hic, vel ibi: & inde resultat inter illa relatio propinquitatis, sicut inter alia resultat relatio distantie, ergo illud esse hic, vel ibi, etiam in angelo, est aliquid absolutum ad relationem antecedens.

Contra hanc vero partem referri possunt Scotus & alij, qui sæpè hanc præsentiam vocant relationem. Sed si forte ita senserunt, eorum sententiam non probamus, fortasse tamen locuti sunt de relatione transcendentali, quæ in illo modo considerari potest, ratione cuius tanquam quid respectuum concipi potest. Et præterea fortasse Scotus etiam ipsum vbi corporeum relationem extrinsecus aduenientem vocat, ad quam per se motum ponit. Veruntamen tantum in modo loquendi est differentia, non est de

contrarium citatur immerito.

Declaratur verba Alenfis.

11. Absolutur probatio prioris membri.

12. Contra proxime dicta stare Scotus haud satis liquet.

Explicatur.

vocibus contendendum, certum est tamen illum modum, propter solam transcendentalē habitudinem ad prædicamentum relationis non pertinere, magis quam scientiam, vel potentiam, vel vbi corporeum.

13. *Probatur iam posterius membrum conclusio.* Atque ex his ad sufficientiam partium enumeratione, præbatur vltima pars, scilicet hunc modum esse accidentis prædicamenti Vbi. Quia non est aliud genus rerum, seu accidentium, sub quo talis modus intrinsecus collocari possit, præter prædicamentum Vbi, & in illo optimè constituitur. Tum quia nihil est, quod repugnet: tum etiam quia hoc Vbi angelicum habet cum Vbi corporeo sufficientem proportionem, & convenientiam, ut ab utroque communis conceptus vniuocus, & genericus abstrahi possit, ut in dicta disp. 51. *Metaph. sect. 4.* late declarauimus, ad quam rectorem remitto: ibi enim convenientias inter utrumque Vbi numeravi, & exposui, quæ certè ad convenientiam genericam indicandam sufficient. Nec enim vlla ratio analogiæ ibi inuenitur, si rem ipsam spectemus, quidquid sit de impositione nominis Vbi. Nam de hoc verisimile est, in principio impositum fuisse ad significandum in specie materiale Vbi corporeum, quod Philosophis notius est, & inde ad spirituale Vbi Angelorum fuisse translatum: sicut de nomine Lucis dixit D. Thomas 1. p. q. 67. art. 1. de quo ait, non obstante simili extensione propriè in spiritualibus dici. Idemque de tempore dicere possumus. Nam veridicè est vocem *Tempus*, à materialibus ad spiritualia fuisse translata, & nihilominus in Angelis propriè tempus inuenitur, quod cum materiali tempore vniuocam, & genericam convenientiam habet, & ideo in prædicamento *Quando*, propriè collocatur, ut in eadem *Metaph. disp. 50.* late diximus. Nihilominus tamen spirituale, & materiale Vbi specie inter se differunt, ut ibidem docui, & ex dicendis in capite sequenti magis declarabitur.

*Vbi primo impositum ad significandam præsentiam corpoream.*

14. *Tertia conclusio bipartita.*

Dico tertio hoc Vbi angelicum ita est intrinsecum in angelo, vt eius substantiam & per se afficiat tanquam immediatum subiectum suum, & ratione eiusdem substantiæ aliquo modo illi conueniat. Hæc est sententia, & mens auctorum, quos supra retuli, estque verissima, licet ab aliquibus modernis impugnetur. Probatur autem quoad priorem partem, quia inter substantiam angeli, & modum prædictum nihil mediatur, ratione cuius talis modus in tali subiecto recipiatur, vel per modum potentia proxima, vel per modum dispositionis, quæ ex parte subiecti sit, quasi materialis ratio recipiendi tale accidens: nihil enim huiusmodi fingi, aut excogitari potest, ergo substantia spiritualis per se ipsam est capax talis modi, ac proinde hoc accidens illi inhaeret tanquam subiecto omnino proximo, & immediato. Declaratur, & confirmatur tum ex differentia, quæ in hoc inuenitur inter substantiam spiritualem, & materialem, tum ex convenientia, quæ inter quantitatem ipsam, & substantiam angeli reperitur in hoc. Nam substantia corporea non est per se naturaliter capax proprii vbi corporei, sed media quantitate sit capax talis Vbi: nam per quantitatem recipit extensionem in ordine ad locum, & aptitudinem, vt per extrinsecam superficiem circumferri possit, & intra eam contineri. At v. angelus ex vi solius substantiæ suæ habet capacitatem recipiendi suum Vbi, sibi proportionatum, id est, sine extensione, & sine propria circumscriptione, vel aptitudine ad illam. Ergo ex hac parte optimè intelligitur substantia spiritualis esse proximum subiectum sui Vbi, licet materialis substantia non ita immediate ad suum Vbi compareretur, quidquid sit, an secundum aliquid materialis substantia sit etiam immediatum subiectum sui Vbi, quoddam præsens, nihil refert. Hinc v. sequitur convenientia, seu proportio inter quantitatem ipsam, & substantiam angeli, quia quantitas per se ipsam, & non per aliud est capax loci: nam per se ipsam quæ uaria est & extensa, & capax circumscriptionis, ne in infinitum procedere necessarium sit, & ideo

*Quantitas est immediatum subiectum sui Vbi.*

est immediatum subiectum sui Vbi, ideoque in eam ariet in speciebus consecratis, sublata substantia panis. Ergo similiter substantia angeli est immediatum subiectum sui Vbi, quia per se ipsam est capax illius, & non mediante alia forma, vel dispositione. Imò in hoc aliquo modo excedit quantitatem, vt mox declarabimus.

Altera pars, scilicet, substantiam angelicam esse etiam proximum rationem sui vbi, declaratur in primis: nam aliquid addit præcedenti. Potest enim aliqua res esse proximum subiectum accidentis, & non esse propriam rationem, ob quam tale accidens ei conferatur, sed meram capacitatem habere. Sicut aer est subiectum luminis, & quantitas dici potest proximum subiectum motus, vel coloris: neutrum autem dici potest ratio, ob quam sequatur in tali subiecto tale accidens, vel propter quod illi inicit, aut conferatur. Aliquando verò in ipso subiecto est aliqua specialis ratio, ob quam tali accidenti affectum esse oportet, siue illa sit emanatio effectiua, vt est inter substantiam angeli, & intellectum eius, siue sit aliqua naturalis connexio, vt inter intellectum angeli, & species illi inditas (vt supra suo loco diximus). In hoc ergo posteriori sensu dico, substantiam angeli esse non tantum proximum subiectum, sed etiam aliquo modo rationem intrinsecam sui Vbi. Et hoc etiam sciunt dicti Theologi, quando in hoc etiam quam proportionem æquiparant substantiam angeli quantitati corporis. Nam quantitas non solum dat corpori capacitatem, sed etiam necessitatem habendi aliquid Vbi, & ideo rectè dicitur non solum esse subiectum, sed etiam esse rationem ipsius Vbi: at substantia angeli non solum per se habet capacitatem sui Vbi, sed etiam necessitatè habendi illud, ergo non erit solius subiectum, sed etiam ratio illius. Consequentia tenet à paritate rationis, & maior est per se nota in Philosophia, & ferè ad sensum: minor autem respondendo obiectionibus melius declarabitur, & suadebitur.

CAPVT III.

*Obiectionibus satisfactis, & obiter dubium expeditur, an possit Angelus nulli vbi esse.*

Asseritio vltima capituli superioris impugnatur, quia si modus ille, quo habet angelus esse alicubi, procederet immediatè à substantia angeli, sicut vbi corporeum procedit à quantitate, non posset angelus absoluti ab omni vbi, sicut quantitas absoluti non potest, saltem naturaliter. Consequens est falsum, ergo. Minor probatur, quia angelus pro sua libertate potest mutare Vbi, nisi ab extrinsecò impediat, ergo etiam potest nullum Vbi in se efficere, seu nulli loco se applicare. Secundò argumentatur, quia alias non posset angelus transire ab extremo ad extremum locum sine medio, quod etiam falsum reputatur. Tertio quia sequitur angelum necessariò semper esse in loco adæquato. Consequens est falsum, ergo, & illud ex quo sequitur. Minor patet infra, sequela probatur, quia substantia angeli semper est eadem, ergo si ipsa est ratio habendi tale Vbi, semper erit ratio habendi æquale Vbi. Sicut quantitas necessariò occupat semper æquale spatium, nisi condensetur, aut rarefiat. Quorum modorum variatio in angeli substantia locum non habet.

Hæc verò parum nos mouent: imò si atremè spectentur, potius assercionem positam confirmant. Vnde ad primum respondemus retorquendo argumentum, quia angelus non potest se absolute ab omni vbi, ergo ex vi suæ substantiæ, illi necessariò conuenit, vt sit alicubi suo modo, sicut ratione quantitatis conuenit corpori, vt alicubi sit, ergo substantia angeli tam est ratio sui Vbi, quam sui est quantitas.

Primum vt vbi.